

1707

C O D I C E S

1708

rundam christi fidelium &c. Henricum Parisinae Academiae alumnus mirum non est stare pro immaculato Virginis ortu, quem hic propugnat, postquam multis questus fuisset de Doctorum super hac re discordia, quae Scholis theologicis non contenta prorupisset in publicum, fecissetque paene Festum Contentionis e Festo Conceptionis. Annum supra indicatum non esse praedicationis, evincit mors Autoris, quae anno 1397. accidit. Dic igitur 1389. Notat hunc Sermonem etiam Pezsius l. cit. 3) In Nativitatem: Ipse fundavit eam altissimus. Scribitur psal. 86. Domini et patres venerabiles. Magne utique et gloriose virginis festivitatis diem primordia humane salutis recolentem &c. Citatur e Codd. a Pezio inter Henricianos, et fortassis id ipsum adfirmasset Clausula in nostro, nisi extrema essent avulsa. Adfirmat faltem de tota Triade Indiculus fronti ab antiqua manu praefixus: Item Aliqui notabiles sermones eiusdem.

DCCXI.

R. 3019. Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 65. f. pereleganter exaratus, rubro distinctus, et litera principe aurata, margineque picturato florulento decorus hanc in Theca notam praefert: *Hunc libellum qui inuenerit, Monasterio Sancte dorothee vienne restituere debet. In quo continetur primo expositio magistri Nicolai de Dinkelspuchel super oratione dominica.*

Deinde expositio eiusdem super salutatione angelica. Rubrica prioris Expositionis est: Incipiunt Sermones &c. et re ipsa in XIII. diuisa est, hoc initio: Si quid petieritis patrem &c. Altera inscribitur fol. 59. p. 2. Incipit sermo — de Annunciacione dominica. et super Ave maria. Initium: Ingressus angelus ad eam &c. Siftitur in verbis: Et benedictus fructus ventris tui. Et quod ulterius dicitur. scilicet Iesus christus, summus pontifex, ut fertur, addendum ordinavit. Dixi de his Expositionibus jam Vol. I. P. 3. col. 2812. et alias; sed dandum aliquid erat nitidissimo huic Exemplari.

DCCXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 76 XIV. Folior. 37. 8. minute, sed nitide exaratus et rubricis distinctus inscribitur: *Tractatus fratris Sybotonis de ordine minorum super Ave Maria. Nempe usque ad verba Ecclesiae: Sancta Maria, Mater Dei &c. Expenduntur singulae hujus Salutationis particulae per plures Articulos hoc ingressu: Ave gratia plena dominus tecum. benedicta tu in mulieribus. dixit ad virginem angelus de celo transmissus. Et benedictus fructus ventris tui adiecit elizabeth spiritu prophetico inspirata. Ut habetur Luce 1°. Hys uerbis simul iunctis interposito hoc glorioso nomine Maria solet deuota plebs fidelium diuinitus edocta salutare virginem nostri saluatoris genitricem &c. Et fine: ut eatis bona opera faciendo,*
et